

obtinere, ubi non licebit in omnibus. Tribulus terrestris Dioscoridis non est Tribulus terrestris, sed Fagonia.

Decades filii divendit editor Salvius, pro septem thaleris nostrae monetae. 42 thaleri conficiunt Ducatum aureum, adeoque pro  $\frac{1}{6}$  Ducatus aurei . solet tamen in nostra patria chariori vendere pretio quam apud exteros, adeo ut non pluris veniret apud vos, quam apud nos.

Paederota Bonarota mihi dicta in speciebus.

Tua Androsace nuper e seminibus enata, non florebit ante proximum annum. Androsace dicta in Appendice ad species.

Quaeso des mihi in literis aliquot minuta exemplaria ex raris Tuis americanis plantis, quae florent in vestro horto.

---

## 26.

Botanico egregio DD. Nicol. Jacquinio s. pl. d. Car.  
von Linné.

A multis diebus Tuas non habui literas. spero te valere et Floram colere, prout soles, indefesse.

Maximam aetatis partem transegi in praedio, redeo in urbem quavis septimana per horulam, ut tabellarium observem. Tum Tuas inspicio plantas et reliquorum amicorum, qui plantas rariores miserunt.

Notavi ad Tuas plantas quae in sequenti pagina observas, saepe specimina non sufficiunt; saepe locus diversus est, et alienas reddit. interim mitto meas sententias. Unicam habeo Drypin ex Tuis seminibus, quae hoc anno florere recusat.

*Cherleria* non prodiit. *Androsace* Tua nova prodiit, sed non ante sequentem annum florebit.

Ante 2 annos, ni fallor, e Tuis seminibus mihi enata est planta, quae refert Clitoriam, sed habet tantum foliola 5,